GRATIANUS

Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 331r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut abigeus. Livenius spectatur ut ad eminentissimo quoque facta. quoque lex minus eum qui occidendi hominis causa cum telo fuerit inventus. quam eum qui occiderit. puniat. Cogitatio non meretur penam. lege civili cum suis terminis contenta est. discernunt tamen a maleficiis ea que de iure effectum desiderant. In his enim non nisi animi iudicium consideratur. Unde in digestis. t. de repudiis. Divortium non est verum nisi quod animo perpetuam constitutionem dissensionem facit. ita quicquid calore iracundie fit vel dicitur non aliter ratum est quam si ipse perseverantia apparuit iudicium animi fuisse. Ideo per calorem misso repudio si breui reversa uxor est nec divertisse videtur. Hinc etiam in canonibus. Si quis iratus crimen alicui obiecerit et cetera. Ex consilio autem velut ex facto aliquem teneri Augustinus probat ita dicens. Non solum qui manibus occidunt sed etiam quorum consilio et fraude alii occidunt homicide probantur. S. iii. Q. iiii. Si quis.

Periculose decipiunt qui existimant eos tantum homicidas esse qui manibus hominem occidunt et non potius eos per quorum consilium et fraudem et exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudei dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt. sicut scriptum est. Nobis non licet interficere quemquam. sed tamen illis domini mors imputatur quia ipsi eum lingua interfecerunt. dicentes crucifige eum. Unde unus evangelista dicit dominum crucifixum esse hora tercia. alius vi. quia Iudei crucifixerunt eum hora tercia lingua. milites hora sexta manibus. Qui ergo hominem tradidit ille interfecit eum domino dicente. Maius peccatum habet qui me tradidit tibi. Unde psalmista. filii hominum dentes eorum arma et sagitte et lingua eorum gladius acutus. Subiciant ergo se penitentie quorum consilio sanguis funditur si veniam promereri voluerint. Item ex epistola Clementis.

Interfectores fratrum detractores eorum eosque odientes homicide probantur.

Homicidiorum vero tria genera esse dicebat beatus Petrus. et penam eorum parilem fore docebat. Sicut enim homicidas interfectores fratrum. ita detractores eorum eosque odientes homicidas esse manifestabat. quia et qui occidit et qui odit fratrem suum et qui ei detrahit pariter homicida esse demonstrat. Item Ieronimus in ysaia. Homicidii maleficus voluntas pro opere reputatur.

Omnis iniquitas et oppressio et iniusticia iudicium sanguinis est. et licet gladio non occidas. voluntate tamen interficis. Item Cyprianus.

Nondum quidem Cain cum domino munus offerret. premerat fratrem. et tamen parricidium mente conceptum deus providus ante dampnavit, ut illic cogitatio mala et perniciosa conceptio deo providente prospecta est. ita et in dei servis apud quos cogitatur et martyrium mente concipitur animus ad bonum deditus deo iudice coronatur. S. iii. Q. viii. Inguinibus.